



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXLIV. Argumentum. Dilucidat præsens Decisio. 1. Quid, & quotuplex sit Mendacium, & Quale peccatum? An aliquando liceat dicere mendacium? An ad celandam veritatem in aliquo casu sit licitum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Histor. Miscell. p. 1. num. 88. & num. 219. ubi ex Lactan. Firmian. lib. 6. cap. 20. Ita concludit: Virando ergo spectacula omnia, ne ejus nos voluptatis consuetudo delinuat, & à Deo, atque à bonis operibus avertat.

DECISIO CXLI.

ARGUMENTUM.

Dilucidat præfens Decisio. Quid, & Quotuplex sit Mendacium, & Quale peccatum? An aliquando liceat dicere mendacium? An ad celandam veritatem in aliquo casu sit licitum adhibere restrictiones mentales; sive Verba æquivoca, aut amphibologica? Quæ mala eveniant à mendacio? Quibus industriis Parocho utendum, ut fideles abstinere, & abhorere faciat à mendaciis?

SUMMARIUM.

1. Mendacium quid sit?
2. Quotuplex?
3. Mendacium an semper sit peccatum?
4. Mendacium jocosum, & officiosum cum Juramento est mortale.
5. Mendacium semper illicitum.
6. Restrictiones mentales non excusant à mendacio.
7. Fagnanus fuit Fiscalis acerrimus contra Propositiones damnatas.
8. Amphibologiis an uti liceat ad celandam veritatem?
9. S. Francisci dictum Amphibologicum.
10. Veritatem omnem manifestare aliquando non tenemur.
11. Sancti Athanasii responsio Amphibologica.
12. Amphibologia illicita in confessione fidei, vel ubi agitur de damno proximi.
13. Rustici cujusdam Amphibologia perniciosa, & punita.
14. Veritas in judicio non est occultanda.
15. Reus quando possit tacere veritatem Judici?
16. Index debet Reum certum facere de indiciis, & probationibus contra eum in processu existentibus.
17. Marcus Marchianus Abbas, & Episcopus Fel-trensis laudatus.
18. Mendacii damna tria.
19. Eudoxia Imperatricis mendacium de pomi esu.

1. **D**ixere: Quod mentiri sit contra mentem ire, ex S. August. lib. 1. contra mendacium cap. 42. & ideo ipse S. Doctor ait, quod Mendacium sit enunciatio falsa cum voluntate ad fallendum prolata; nam duo requiruntur ad rationem mendacii; unum est voluntas fallendi, seu falsum enunciandi; alterum est locutio exterior contraria judicio mentis. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 1. Mastrius in Theol. Mor. disput. 11. num. 166. Navar. in Man. cap. 18. num. 3. Layman. lib. 4. tract. 3. cap. 13. & passim omnes. Triplex autem est mendacium: Jocosum, causa recreationis, Officiosum, animo rem gratam faciendi amico, & Perniciosum, quando alicui obest. Cardin. Tolet. lib. 8. cap. 54. num. 3. Summa Dian. Verb. Mendacium; & quodcumque mendacium tripliciter consideratur, & appellatur. Formale tantum, dum quis dicit verum, quod putat esse falsum. Materiale tantum, quando quis profert falsum, quod putat esse verum. Mixtum, dum quis effatur falsum sciens esse falsum. Navar. d. cap. 18. num. 3. & Mastrius dict. disput. 11. num. 166.

Porro mendacium semper est peccatum, quia actus includens intentionem malam nunquam potest esse bonus, cum formaliter includat malum velle, & hujusmodi est mendacium. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. Scotus in 3. sentent. d. 38. quæst. Unicalit. A. & ibi S. Bonaventura quæst. 2. num. 25. & 26. ubi docet, tantam esse malitiam, & inordinationem mendacii, ut Deus non possit illud licitum reddere (& idem est in odio Dei) quamvis posset Deus, si vellet, auferre malitiam in furto, in homicidio, in fornicatione, ita ut nullum esset peccatum furari, occidere, & fornicari; quod etiam latissime probat Suarez de legib. lib. 2. cap. 15. per totum; & Fagnanus in c. Falsidicus num. 58. de crimine falsi tom. 6. pag. 311. Est autem veniale peccatum mendacium jocosum, & officiosum absque juramento c. Ne quis arbitretur f. Duo sunt omnino genera 22. quæst. 2. Glossa ultima in c. Nec artificioso, ibid. At si affirmetur cum juramento, sit peccatum mortale, c. In novo & c. ultim. 22. quæst. 1. Prout etiam mortale est mendacium perniciosum sine juramento, si de re gravi sit; & eo magis cum juramento. Ex his sequitur, quod nunquam liceat dicere mendacium, neque pro vita tuenda; unde scriptum est, Noli velle mentiri omne mendacium, Eccles. 7. Nam Os, quod mentitur, occidit animam. Sapient. 1. 11. Et Qui loquitur mendacia, peribit. Prov. 19. 9. Hinc Apostolus hortatur fideles dicens; Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam estis invicem membra. Ephes. 4. 25. Imminet enim perditio aterna. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. Psalm. 5. Et omnibus mendacibus pars illorum erit in stagno ardenti, igne, & sulphure. Apoc. 21. S. Thom. 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad Tertium.

Quamvis autem aliquando liceat tacere veritatem extra judicium, & citra præjudicium alterius ob rationabilem causam c. Utilem. & cap. seq. 22. quæst. 2. S. Thom. 2. 2. quæst. 111. art. 1. & S. Antonin. in summa p. 4. tit. 10. cap. 1. col. 5. Attamen in nullo casu est licitum ad veritatem celandam adhibere restrictiones mentales pro excusando mendacio; siquidem olim fuit magna scribentium de hac re concertatio, in qua plurimi opinabantur, nullam fuisse culpam jurare id, quod falsum est secundum vocis significationem, subaudiendo implicite aliquid in mente, quod efficiat sensum verum, ut affectis relatis tenebat Sanchez super Decalog. tom. 1. lib. 3. cap. 6. num. 15. & Sancius in Selectis disput. 43. num. 29. & disput. 46. num. 17. At hodie ipsius Sanchez, Sancio, & aliorum asseclarum doctrinam, & in hac re opinionem tanquam erroneam damnavit Summus Pontifex Innocentius Undecimus per suum Decretum die 2. Mensis Martii 1679. in Proposit. 26. quod legitur etiam impressum post novissimam Busenbai impressionem pag. 600. Prædicta Propositio 26. damnata ita asserbat: Si quis vel Solus, vel coram aliis sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocumque alio sine juret, se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus. Eandem reperiet studiosus Lector apud mea Erotemata in fin. p. 427. Quare cavendum est ab exemplis relatis per Doctores, à quibus dicta damnata opinio defendebatur, nominatos præcipue à Fagnano (qui fuit fiscalis acerrimus

con-

contra eosdem autores, & eorum prædictam opinionem) in cit. cap. *Falsidicus* à num. 20. & seqq. De Crimine falsi. Et à Summa Diana in verb. *Juramentum* num. 6. Siquidem tum in prædictis exemplis, tum in consimilibus restrictiones mentales non justificant mendacium, neque liberant mendacem à peccato, ut olim docuere Cardin. Cajetan. in 2. 2. quæst. 89. art. 7. in respons. ad 4. Sotus lib. 5. de Justitia, & Jure quæst. 6. art. 2. concl. 7. & l. 8. concl. 1. art. 7. col. ult. Et de Secreto membr. 3. quæst. 3. concl. 3. in fine. Et inter modernos Caramuel in Theolog. Mor. num. 1084. & Fagnan. in d. cap. *Falsidicus*.

Caterum an aliquando liceat uti verbis Amphibologicis, vel æquivocis ad veritatem celandam extra judicium, & citra præjudicium proximi, & ubi non agatur de confessione fidei? Respondum fuit sub distinctione ista. Aut verba, quæ usurpantur ex propria significatione vocis, & communi audientium usu non admittunt illam interpretationem, quam intendit illa proferens; & in hoc casu illicita est Amphibologia, & æquivocatio, neque à mendacio excusatur proferentis assertio, ut si quis asserat, vidisse Principem in platea, quem depictum vidit in Icone; nam appellatione Principis ex communi usu non intelligitur Pictura, sed homo vivens. Aut Verba Amphibologica, & æquivoca ex proprietate vocabuli, & communi usu recipiunt utrumque sensum, scilicet illum, quem intendit audiens, seu interrogans; & tunc non censetur prohibita Amphibologia, & æquivocatio, eo quod in similibus Verbis nullum inest mendacium, ac proinde nec perjurium, si sint cum juramento, ut ex doctrina Alexand. de Ales, Cardin. Turrecremata in c. *Hoc videtur*. §. *Quæritur* 2. 2. quæst. 5. Hostiensis, Raymundi, Cajetani, & aliorum plurium Theologorum, & Canonistarum firmat Fagnanus in cit. t. c. *Falsidicus* num. 147. De Crimine Falsi, ubi num. 148. refert cautelam S. Francisci, qui interrogatus à Ministris Curie, An quidam illac transisset? manus in vestis manicas intromittens respondit: non transiit hac, intelligens de loco, in quo manus habebat. Quod etiam novissime docet Eminentiſs. Cardin. de Lauræa in 3. sentent. tom. 2. disput. 25. art. 6. §. *Unico*, ubi cum num. 102. firmaverit, in nullo casu licere ad celandam veritatem dicere mendacium cujusvis generis; subdit num. 104. quod, etsi non liceat mendacio veritatem celare, non tamen quilibet teneatur omne verum naturale, & humanum sibi notum manifestare; & tandem num. 112. concludit, quod aliquando, dum urget necessitas loquendi de humanis, rebus licitum sit ex aliquo honesto fine æquivocare, seu amphibologice loqui, non manifestando explicitè veritatem; quam conclusionem probat variis Sacre Scripturæ exemplis, canonibus, & auctoritatibus Sanctorum. Quibus addere licet dictum S. Athanasii, qui impellentibus Arianis fugiens ab urbe Alexandria, cum à Satellitibus ad necem conquireretur, qua fugiebat navicula conversa in contrariam fluminis partem, iis, qui se insequabantur, ex industria occurrit, & querentibus quantum inde abesset Athanasius? Respondit, eum non longe abesse: & ita salvus, & incolumis reversus est Alexandriam, ut in Breviario Romano Lect. 6. die 2. Maii.

Limitatur itaque hæc doctrina: nisi agatur vel de confessione fidei; quam æquivocis ver-

bis occultare non licet. Eminentiſs. Cardin. de Lauræa d. num. 112. & num. 118. Vel de præjudicio proximi, quia nullum fallere, & ei præjudicium afferre licet c. *Is autem mentitur* 22. quæst. 2. Fagnan. ubi supra num. 147. Deus enim est vindex æquivocantium in damnum proximi, ut legitur de rustico, qui ex decreto Judicis juraturus, an campus contentiosus suus esset? implevit caligas suas terra sua, & stans super campo contentioso juravit, terram, quam pedibus calcabat, esse verè suam; putans hoc æquivoco se tueri à perjurio, sed fuit à Deo punitus, ut refert Bollandus 11. Januar. in Vita S. Egvini cap. 14. num. 19. & Gobatus de Juramento num. 691. In judicio autem non solum peccat, qui falsum dicit, sed etiam qui veritatem occultat. d. cap. *Falsidicus* de Crimine Falsi. Fagnan. ibid. num. 5. 7. & 149. Farinacius in Praxi Crimin. part. 1. quæst. 67. num. 223. & 225. Nisi forte Judex interrogaret contra formam Juris, id est non præcedentibus indicii legitimis, diffamatione, vel semiple-na probatione; quibus casibus reus non tene-tur manifestare veritatem, & prodere seipsum, ut omnes Criminalistæ notant. Guazzin. ad defensionem Reorum defens. 20. cap. 7. num. 7. Flam. Chartar. in Praxi interrogand. Reor. lib. 1. cap. 2. num. 8. & lib. 3. cap. 2. num. 12. & Diaz. in Praxi Criminali Canon. cap. 129. & ibi Ignatius Lopez in addit. Vers. Octavo. & Vers. Secundo autem dilectionis membro, ubi traditur, quod Judex, qui reum interrogat de delicto, debeat illum certum reddere de indicii, seu probationibus extantibus in processu, ut sciat, se legitime interrogari, & quod teneatur veritatem fateri, quam proximè docuit triginta ab hinc annis Illustrissimus Marcus Marchianus Abbas, eximius Canonum, Primariusque Professor in hoc Lyceo Publico Patavino, & Vicarius Generalis in hoc Episcopatu, sub quo Magistro rudimenta theoricæ & praxeos Tribunalis Ecclesiastici didici, ac professus fui, donec ipse ad Ecclesiam Feltrensem regendam, Episcopus factus, accessit, perpetuam suæ humanitatis, ac virtutis memoriam in tota hac Dicecesi relinquens.

Tandem dixere quatuor esse præcipua mala, quæ proveniunt à mendacio, scilicet detrimentum Animarum, Corporum, boni nominis, seu famæ, & Rerum Temporalium.

Animarum; quia Mendacium eas maculat culpa mortali, si sit cum perjurio, vel in grave damnum proximi, aut saltem veniali; & utroque casu imminet severa Divinæ justitiæ animadversio, ut probat Paul. Segneri contion. 34. num. 12. Et in Christiano Instrueto part. 1. serm. 30.

Corporum; nam detecto mendacio sæpe sæpius homicidia sequuntur, ut de occisione Paulini jussu Imperatoris Theodosii patrat ob mendacium Imperatricis Eudoxiæ circa comestionem pomi refert P. Menochius *Stuore* centur. 2. cap. 27.

Boni nominis, seu famæ; nam ut habetur Eccles. 20. Opprobrium nequam in homine mendacium. Et late probat Gobatus in tract. de Juramento à num. 677. & seqq.

Rerum temporalium; juxta terribile illud Decretum Divinum Zach. 5. Maledictio commorabitur in domo jurantis in nomine meo mendaciter, & commorabitur in medio domus ejus, & consumer eam, & lapides ejus, & ligna ejus.

Super quorum malorum explicatione versari de-

debent Parochi industria, illa Sanctorum autoritatibus, & exemplis, de quibus apud Gobat num. 691. confirmando, ut fideles abstinuant, & abhorreant à mendaciis.

Et ne studiosum Lectorem lateat Propositio damnata de Verbis Amphibologicis, quæ non admittunt utrumque sensum, ut dictum est supra num. 8. Sciatur eam esse sequentem inter damnatas ab Innocentio XI. Propos. 27. videlicet: *Causa justitendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est, ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum; ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.* Igitur per damnationem hujus Propositionis censentur condemnata, & proscriptæ omnes illæ amphibologiæ, quæ vel continent veritatem ex sola aliqua restrictione in mente, vel quarum verba ex communi usu loquentium non continent sensum, quem intendit illa proferens; secus autem, quando æque ipsa habent sensus duos, unus quorum intelligitur à proferente dictum amphibolicum; ut testatur novissime etiam Cardenas in Crisi Dissertat. 19. ad d. Propos. 27. cap. 4. num. 35. ubi ita scribit: *Hunc modum amphibologia non damnari ab Innocentio XI. certum est, quia ille solum damnat amphibologias, quæ sunt per restrictionem mentalem, addendo verbis aliquod retentum in mente.* In hoc autem modo nihil additur retentum in mente; quia illa diversa significationes sunt propria verbi aquivoci. Legantur de hac distinctione etiam mea Erotemata cap. 38. quæst. 2. in 2. Impress. pag. 101.

DECISIO CXLV.

ARGUMENTUM.

Examinat hæc Decisio. Quid sit Abortus? Quam grave peccatum? Quæ poenæ sint statuta contra procurantes Abortum?

SUMMARIUM.

1. Abortus quid sit?
2. Fœtus humanus, quando censeatur animatus?
3. Angelus custos hominis quo tempore ei assignetur?
4. Abortus sit vel directè, vel indirectè.
5. Abortus ex medicamentis ad salvandam Matris vitam an licitus?
6. Abortus delictum est gravissimum.
7. S. Vincentii Ferrerii Sororis abortus.
8. Abortum causans committit homicidium proditorium.
9. Parricidii delictum continetur in abortu.
10. Assassinium facit, qui abortum procurat.
11. Hazaelis crudelitas in necandis pregnantibus.
12. Redemptor iterum passionem subiret, si opus esset, pro una Anima.
13. Abortum procurantium poena.
14. Excommunicatio in committentibus abortum cui reservata?
15. Procurantium abortus casus reservatus Patavii.
16. Clerici abortum facientes, quibus poenis subiciantur?
17. Immunitate loci Sacri non gaudent committentes abortum.
18. Infamia incurritur ex abortu.
19. Irregulares sunt eidem cooperantes.
20. Mortis poena, an infligenda committentibus abortum?
21. Clericus ob abortum commissum degradatur, & ultimo supplicio per Curiam seculari punitur.

Post. Clerici. Tom. II. Lib. IX.

22. Abortum à delicto nullus Confessarius absolvit.

Dictum fuit: *Abortum esse ejectionem fœtus immaturi.* Summa Diana Verb. Abortus num. 1. Fœtum autem considerari vel animatum, vel inanimatum. Tunc censetur animatus, si sit masculus, & transiverint quadraginta dies post conceptionem: animatus verò, si sit fœmella, & effluxerint dies octoginta. Aristot. lib. 5. Anim. cap. 3. & 9. Bonacina. de restit. in particulari. disp. 2. quæst. ultim. sect. 1. pñct. 7. num. 4. tom. 2. Farinac. quæst. 122. num. 141. Cæsar de Panimollis decis. 68. num. 17. Quamvis non desint contrarium opinantes, videlicet tum masculos, tum fœminas animari in utero matris ante terminos prædictos, & statim ac corpusculum est formatum, quod in genitricibus temperamenti calidissimi citissime fieri solet, ex Hippocrate lib. de natur. fœtus. Lessius lib. 2. de Just. & Jur. cap. 9. dub. 10. num. 65. Farinac. d. quæst. 122. num. 139. & 143. Diana part. 7. tract. 5. resol. 6. Quæ in Coordinato posita est tom. 5. tract. 6. resol. 19. Panimoll. d. decis. 68. n. 18. & 19. & Narbona de Etate quæst. 2. num. 40. & quæst. 5. ubi num. 23. firmat, Angelum custodem assignari tempore animationis fœtus. Videlicet Zacchias in QQ. Medicoleg. tom. 2. lib. 9. tit. 1. ubi Medicorum, ac Philosophorum discrepantes opiniones recenset de tempore, quo fœtus humanus sit animatus.

Dixerunt etiam dupliciter procurari abortum 1. Directè, quando adhibentur potiones ad fœtum ejiciendum, vel percussiones super uterum, aut motus violenti ad hunc finem. Indirectè, si vir uxorem pregnantem verberet, aut ipsa insolitis laboribus, vel ponderibus, aut saltationibus seipsam lædat, aut utrique conjuges, ut suæ libidini satisficiant, dum uxor est gravida, ita se agitent coeundo, ut abortus, non tamen ab eis intentus, sequatur. Diana part. 7. tract. 5. resol. 30. Quæ legitur in Coordinato tom. 5. tract. 6. resol. 34. DD. quos allegat Sanchez de Matrim. lib. 9. disp. 22. num. 1. Narbona de Etate quæst. 1. num. 19. Quod si darentur medicamenta matri ærotanti, ac prægnanti ad ejus sanitatem procurandam, si per accidens sequeretur abortus, non erit delictum, DD. quos citat, & sequitur Diana part. 3. tract. 5. resol. 11. Quæ in Coordinato jacet tom. 5. tract. 6. resol. 43. & part. 7. tract. 5. resol. 35. In Coordinato tom. 5. tract. 6. resol. 39. Adeo ut, si fœtus nondum sit animatus, & ejus ejectio sit unicuique remedium ad vitam matris, liceat sumere medicamentum ad illum ejiciendum juxta probabilem sententiam Trullenchi tom. 2. in Decal. lib. 5. cap. 1. dub. 4. num. 1. Summæ Dianæ Verb. Abortus num. 14. Et Mastrii in Theolog. Moral. disp. 8. num. 30. & 31. à quibus tamen discordant Lessius, Bonacina, & alii relati ab ipso Diana d. resol. 35. Quæ in Coordinato est 9. supra notata. Porro de hac quæstione in praxi legendus erit Zacchias QQ. Medicoleg. tom. 1. l. 6. tit. 1. quæst. 7. ubi num. 14. refert pro utraque opinione tum Medicos, tum Theologos, ac Canonistas, & tandem num. 16. ita concludit: *Vera sententia hærens Constitutioni Sixti V. est, nunquam licere directè procurare abortum, etiam si proponatur Matris salus, qua periclitatur, nisi provocetur abortus.* Indirectè tamen non est prohibitum pro Matris salute dare causam aborti.

D d

tiendi.